



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 81. Vana Protestantium molimina in confutandis hisce erroribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](#)

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

non igitur, inferebat Statorius, ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem solum per Filium, vel ad illum, qui nobis hunc Spiritum sanctum ad mensuram dat, preces nostræ sunt dirigendæ, quinimo si Deus non est, nullus latræ cultus ei deferendus est.

§. LXXXI.

Vana Protestantium molimina in confutandis hisce erroribus.

Enimvero fictæ Reformationis Ministri plures Sacrae Scripturæ textus producere nitebantur, ut negativa, prout vocant, Statorii argumenta refellerent, quæ quidem re ipsa nullatenus contra Spiritus Sancti divinitatem militabant: cum vero Statorio utpote Viro admodum pertinaci illa oppido clara, ac intellectum convincentia viderentur, ad traditionem, atque interpretationes, quas Veteres Sancti Patres hisce textibus accommodabant, recurrere oportebat: verum cum spurii hi Reformatores nil nisi Sacras Literas admitterent, nec etiam in eorum Synodo traditionum, Patrumque auctoritas acceptaretur, hinc eorum disputatio in propugnaciam animorum contentionem, ac mutua convitia degenerabat: inde tamen Statorius adeo parum commovebatur, ut potius, cum se non nisi injuriis

Sæcul. XVI. A. C. 1561. riis confutari cerneret, firmiter sibi per suasum haberet, quod pro veritate pugnasset, unde fictitia hac victoria elatus, perinde acsi omnium Magister esset, ulterius perorabat, palam questus de agendi ratione, quam Genevenses Ministri, ac præcipue Calvinus hucusque tenuissent: hunc enim accusabat, quod violatis omnibus charitatis, ac justitiae legibus Blandratum divexarit, eumque hæresis insimulans, lata sententia, cuius autographum penes se habebat, ac in confessu proferebat, eidem infamiae notam inusserit. Postmodum hæc sententia prælegebatur, nec deerant, qui eandem æquitati apprime consonam rati multis deprædicarent elogiis: cum igitur Statorius querula voce sua parum proficeret, tandem in hæc verba pro rupit: „Calvinum haud decet, ut fratres suos Arianæ hæresis insimulet, „cum ipse met sit Sabellii secta infectus, „admittit enim tres Deos, scripsitque, „Deum non esse genitum, genitum vero „Filiū, & Spiritū Sanctū esse præductū: immerito autem Blandratus, „æque, ac ego accusamur, & tanquam „heterodoxi traducimur, cum circa „hasce quæstiones controversias non „aliis utamur verbis, quam illis, quæ „a Reformatis Ecclesiis adhibentur: „de cetero, si in Patrem, Filium, & Spiritum

„Spiritum Sanctum credere, ac circa Sæcul XVI.
 „hoc mysterium ea omnia, quæ de eo A.C. 1561.
 „Sacræ Paginæ loquuntur, profiteri,
 „& præter ea nil aliud admittere, hæ-
 „reticum est, tunc ingenue fateor, me
 „esse hæreticum, atque pro defensione
 „fictæ hujus hæresis omnia perpeti pa-
 „ratum esse, quæcunque contra fidem
 „meam invidia, ac hostium meorum
 „malitia concitare poterunt; mihi enim
 „sufficit æquum fidei meæ testimonium,
 „quod mea mihi conscientia suppedi-
 „tat., (*)"

§. LXXXII.

(*) Evidem Statorius haud immerito Cal-
 vinnm tanquam Sabellianum, atque Arianæ
 hæresis restauratorem nominabat, quippe ex
 ipsis Lutheri afflatis non pauci, ac præcipue
 Jacobus Andreas celebris ille Tübinganus Ca-
 cancellarius testantur, in Polonia, Transylvania,
 & Hungaria quamplurimos in Arianismum,
 imo & Mahometis superstitionem ideo fuisse
 prolapsos, quia illis Calvinus sacrilega sua do-
 ctrina latissime januam aperuit: insuper Ada-
 mus Neusserus quondam Heidelbergensis Præ-
 co, ac primo Lutheranus, postea Calvinista,
 dein Arianus, ac denique Mahometanus in
 epistola ad Stephanum Gerlachium anno 1574.
 scripsit, neminem se vidisse, suo tempore
 Arianum factum, qui non prius Calvinista
 fuerit: His addit Josephus Biner in suo Ap-
 paratu